Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26088
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sepultura. ego directus sum operari fori celestis. Mor-
tuos sepelistis et mortis aculeum non timuistis. ipse se
pultus per uos tacita uoce pclamauit. Probationis fuerat
cecitas oculorum. unde patientia tua clarior meruisset de
celestibus ornamentis. Ego sum RAPHAEL unus de septem
qui assistimus ante claritatem dei. Non indigeo fructu humane
mercedis. diuitem me fecit conuersatio maiestatis. Diues
ille qui me misit. gratis iussit impendi quod gratis ipse concessit.
nec ipsum honorem gratiarum in deputetis quia michi meis
uiribus percepistis. Deum benedicite et illi confitemini et ipsum
glorificate. quia uobiscum fecit bona. Subito parte facto
mysterii celestis honore uoce RAPHAELIS archangeli
attoniti tobis et tobias collapsi in terram pruerunt uoce
tremula petit [illegible] occultauerunt. quia uocem insolitam au
dierunt. Quid merui[illegible]stis pater tobis filique tobia. merce
narium habere celestem [illegible] et tanquam operarium locare terrestrem.
celauit uos angelus nomen. Azarias sum inquit ananie
magni uiri filius. et non dixit ego sum RAPHAEL angelus.
celauit in primo noctis dignitatem ne faceret locatori ter
rorem. Si enim diceret ego sum angelus. non erat tobie mer
cennarius. Seruata est dignitas noctis. ut postremo magni
tudo clarescereet dignitatis. Videte fratres quantum sit
elemosine meritum. angelum meruit habere mercenarium.
Videte quantum proficit mortuos sepelire. ut oblatio eius per
angelum RAPHAELEM. ad celestem ascenderet maiestatem.
Videtis quia elemosina a morte libat. et ipsa purgat
peccata. facit purgationem oculorum. libat a tenebris peccatis.
Tobis uia sua deducit. sara tot uiris extinctis per angelum